


1978

N

3

[160]







78 N 3 [760.3]

PANEGYRICVS  
SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
FRIDERICO  
TERTIO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO,  
SACRI ROM. IMPERII ARCHICAMERARIO  
ET ELECTORI, DVCI BORVSSIAE, MAGDEBURGI,  
CLIVIAE, IVLIACI, BERGAE, STETINI, POMERANIAE,  
CASSVBIORVM ET VINEDORVM, ETIAM IN SILESIA  
GROSNAE ET SWIBVSII, BVRGGRATIO NORIMBERGENSI,  
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDAE ET CAMINI, COMITI  
HOHENZOLLERAE MARCAE ET RAVENSBERG, DYNASTAE RAVEN-  
STEINI ET TERRARVM LAVENBURG ET  
BVTAV, ETC.


*DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,*

IPSA AVSPICATISSIMA DIE  
FRIDERICI

HOC EST V MARTII MDXCIV  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA

PVBLCO OMNIVM NOMINE  
DEVOTE ET SVBIECTISSIME  
DICTVS

<sup>A</sup>  
BENIAMINE VRSINO,  
BEROLINENSI.



HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS STEGMANNIANIS.





PANEGYRICVS  
SACRISIMO POTENTISSIMOQUE  
PATRIBUS AC DOMINO  
DOMINO  
FRIDERICVS  
TERTIO

MARCHIONI BRANDENBURGICO  
SACRI ROMANAE ARCHICAMERARIO  
ET ELECTORIS PALATINI MAGISTRALIS  
CIVITATIS BRUNNENSIUM  
CIVITATIS BRUNNENSIUM  
CIVITATIS BRUNNENSIUM  
CIVITATIS BRUNNENSIUM  
CIVITATIS BRUNNENSIUM  
CIVITATIS BRUNNENSIUM  
CIVITATIS BRUNNENSIUM  
CIVITATIS BRUNNENSIUM  
CIVITATIS BRUNNENSIUM



Kapitel 78 N 3 [160]

BRUNNENSIUM

AN  
1601

FRIDERICI

ROBERTI MARITI CUIUS REGIA

IN ACADEMIA BRUNNENSIANA

LIBRO QUINTO NOMINE

DEI ET PATRIAE

DEVS

BRUNNENSIUM

BRUNNENSIUM

LITERIS STEGMANNIANIS







## AVDITORES.

**D**urium ornamentorum, quæ Academia nostra suo Conditori debet, nescio an fulgentius ullum & augendæ famæ magis sit appositum, quam quod de suo FRIDERICI nomine FRIDERICIANAM appellari voluit. Summum decus olim ciuitatum erat, ab eo, qui instauraverat, vel sub cuius principatu instauratæ fuerant, cognomenti dignitatem & honorem accepisse, nec sine omine singulari factum, quod tot Augustas, tot Cæsareas in Romano Orbe enituisse nouimus. Quod si ergo ciuitatibus honori fuit & insignem splendorem attulit, quæ conditoris amplificatorisve sui nomen auspiciousimum præ se fere-



ferebant: quidni in præcipuis ornamentis re-  
putemus, quod Academia hæc ab eo Princi-  
pe cognomen suum habet, cuius gloria nul-  
lis spatiis definiri, nullis temporibus conclu-  
di & circumscribi potest? Non enim vano  
nomine aut augurio inani sibi Academia  
promittit, tanto apud exteros illustriorem se  
deinceps fore, quanto nomen EIVS, un-  
de suum accepit, apud omnes est augustius,  
& nullis limitibus determinatum. Habet i-  
gitur Academia nostra quod de INSTAURA-  
TORE sibi gratuletur; habet etiam quod de  
nomine, ex tanta luce gloriæ impertito sibi,  
non minus lætabunda congratuletur. Quod  
quando magis, quam hoc die deceat fieri,  
equidem non video, nec si omnium tempo-  
rum commoditates circumspicio, quæ apti-  
or convenientiorque huic rei sit, nullam fa-  
ne reperio. In fastis enim FRIDERICI me-  
moriæ, nescio cuius, hæc dies consecrata est,  
quæ si ulli genti, Brandenburgicæ certe au-  
spicata atque sacrosancta debet esse, quia in  
memoriam reuocat, quot & quanta benefi-  
cia & olim a Fridericis, & hoc tempore ab  
illorum Hærede & Imitatore FRIDERI-  
CO



CO III. Sacri Romani Imperii Electore &  
Clementissimo nostro Domino , tam ista  
gens universa quam in primis Academia no-  
stra iam tum acceperit, & in posterum pro-  
pitiis fati ex eodem fonte sibi certis significa-  
tionibus polliceatur. Non ego supersti-  
tionibus aut anilibus deliramentis addictus  
sum, quibus multi mortales fascinati, nescio  
quam vim & efficaciam in certis diebus cre-  
dulitate sua imponunt: sed tamen inficias  
ire non audeo, ominis quoddam momentum  
etiam in diebus esse, saltem ut memoria illa-  
rum rerum renouetur, quas auspicato fieri  
nec sine felicitatis spe, non est quod dubi-  
temus. Quam causam ego existisse arbi-  
tror, ut maiores nostri, cordatissimi morta-  
les, fastos ita dispensaverint & festos sacros-  
que dies quosdam jusserint haberi, ut  
quotannis vota publica conciperentur, aut  
ea statis temporibus perageremus, quæ boni  
faustique ominis esse non vana religione aut  
pietate irrita creduntur. His quoque au-  
spiciis Academia nostra excitata, ut sacrum  
& festum diem, sibi colendum putat quem  
nunc agimus, nec quidquam dubitamus, fe-

B

lici



lici omine & fausta fortuna nobis omnibus  
illuxisse. Quemadmodum igitur magna  
olim religione maiores nostri illum diem,  
quo in lucem editi essent, velut festum & so-  
lennem quisque inter familiares & amicos  
suos coluerunt, qui mos nec hodie penitus  
expiravit: ita non alienum ab officio credo  
esse, alium quemcunque diem, qui magni  
beneficii nos admonet, inter gratulationes  
& bona verba iucunde atque hilariter transi-  
gere. Quod si enim natalem diem ideo  
nobis gratum iucundumque esse intelli-  
mus, quod eo in hanc lucem coeli atque in  
hanc vitam nos ingressos recordamur; cur  
non & illum cum voluptate recolamus, quo  
forsan non minus, quam nascendi est, bene-  
ficio in animum & memoriam læta cogi-  
tatione advocatur? Videtis inde, Audito-  
res splendidissimi, quam non forte aut im-  
provise casu hanc solennitatem celebren-  
mus, sed iustis causis moneamur, vt certa-  
tim faciamus quæ pietatis munus iubet, & vo-  
tis atque precibus hanc lucem transigamus,  
vt grata veterum bonorum recordatione  
non indigni illis videamur, quæ & nobis &  
nostræ



nostræ Academiae a munificentissimo PRIN-  
CIPE, præsertim Deo bene favente, in po-  
sterum exspectamus. Iustæ sic rationes  
sunt, cur hunc diem inter vota & acclama-  
tiones traducamus: cui autem hoc munus  
præ cæteris imponendum sit, ut quod omni-  
um pietas gestit agere, is verbis præeat &  
faustis comprecationibus; id ipsum est, in  
quo iudicium vestrum, Auditores sapientis-  
simi, non iniuria pertimesco. Quum enim  
tot eruditissimi viri sedeant, vereor, ne te-  
meritatis me incusetis, quod ego potissimum  
adsurrexerim ad dicendum, qui cum Vobis,  
qui sedetis, neque ætate, neque ingenio, ne-  
que dicendi usu aut doctrina comparandus  
sum. Veniam tamen huius incepti mihi fa-  
ciliorem spero, quo maiores sunt rationes,  
quæ me, quamvis imparem huic negotio, ad  
suscipiendas huius muneris partes cumpri-  
mis impulerunt. Non ignota potest esse  
singularis illa clementia, qua Serenissimus il-  
le Maximusque Princeps, cuius hic dies no-  
men refert, adhuc meos prosecutus fuit,  
quam me tanti grata pietate æstimare, ut  
singulari voce & his & publicis beneficiis

B 2

præ-



prædicandis me offeram, non puto quemquam ex vestro ordine ac confesso fore, qui id iniquius interpretetur. Quod hoc maiori alacritate aggredior, quo certiora mihi signa benevolentiae vestrae prostare video, qua futurum esse nullus dubito, ut, quæ deerunt orationi meæ, vestra benignitate atque amore suppleatis. Dum vero hæc aggredior, adeo nullus mihi metus est super, ne rerum me dicendarum materia destituat, quæ potius ita copiosa & per omne genus gloriæ diffusa meis oculis occurrit, ut turbatus pæne hæream, nec definire facile possum, unde principium mihi sumendum sit, ubi finis constituendus. Quis enim tam ignarus est omnium rerum, qui nesciat maximarum virtutum gloriam, qua incluta DOMUS BRANDENBURGICA coruscat? cui ignotæ sunt victoriae atque triumphus, quibus vel fama non sufficit ex merito prædicandis? solus gloriosæ memoriæ PARENS serenissimi nostri ELECTORIS tantus apud omnes ex merito habetur, ut magnitudo rerum gestarum, Historicorum quoque industriam defatigare possit. Ipse, cuius nomen venerabile nobis existit,  
lau-



laudatissimus Academiae nostrae INSTAV-  
RATOR, tantus exsurgit per singulos annos,  
ut maioribus suis maximi nominis Heroi-  
bus concedat nihil, sed gloriam illorum at-  
que famam celebratissimam non tantum  
æquet, quod magnum nimis in aliis esset;  
sed etiam cumulet virtute sua atque  
identidem illustriorem efficiat. Nihil  
enim usquam est magnitudinis, quod in  
tanto Principe non admiremur. Quæ  
singula in aliis laudamus cum stupore,  
ea omnia conjuncta & in unum corrivata  
in Nostro esse intelligimus. Enituit ali-  
quis in bello, sed obsolevit forte in pace:  
alium literarum studia, sed non & arma  
honestarunt: est aliquis victoriis suis ma-  
ximus, non itidem carus suis civibus: hic  
animi magnitudine præstat, non pariter  
felicitate, quæ domi alia est in regunda re-  
publica, alia foris in bellis fortiter geren-  
dis atque profligandis. At PRINCIPi nostro  
quanta concordia, quantusque concentus  
omnium laudum omnisque gloriæ conti-  
git, ut rursus multitudine virtutum con-  
turber, ignarus plane, quam primo loco

C

mih



mihī ad prædicandum sumam , quam  
deinceps laudem , & ubi finem tandem  
orationis meæ inveniam? Omnes enar-  
rare supra ingenium meum est & supra  
angustias temporis quod huic solennitati  
destinamus. Quod igitur faciunt, qui in  
amoenissimo horto versantur, ut non om-  
nes fructus aut flores , quod nimium &  
prope infinitum foret ; sed quosdam  
tantummodo decerpant in usum aut de-  
lectationem, quos nempe obvios maxi-  
me habent & primum se oculis obiicien-  
tes : ita mihi etiam ex tanta copia liceat  
solum eas laudes delibare , quas præsens  
dies , quem læti celebramus , in mentem  
nobis maxime submittit. FRIDERICIANAM  
illa memoriam tenet : huius ergo finibus  
placeat in præsentia contineri, & tantum  
ea in illustri hoc confessu adferre, quæ  
auspicatissimum hoc nomen nobis sug-  
gerit. Habet Germania FRIDERICOS  
Imperatores, quos colit: habet Augusta  
Domus Brandenburgica, quorum glori-  
am , virtutibus partam summisque  
meritis , admiratur, & nos magni, utide-  
cet,



cet, submissa reverentia æstimamus. Sed hic quoque hæsitare possum, quam primam laudis occasionem ex FRIDERICIS arripiam. Videor autem non inepte mihi facturuse esse, si ex eo sermoni meo initium petam, cuius hic locus, in quo ver-  
samur, potest monitor & commendator esse. Non in castris enim vivimus, sed in otio & umbra Academica, & in artium bonarum templo ac domicilio, ubi omnis generis studia excoluntur, ingenia formantur, & ad publicam rem gerendam præceptis & exemplis instituuntur. Hoc dum ego mecum cogito, in mentem mihi venit Authenticæ HABITA, ut in civilis Iuris Codice appellatur. Illa enim gloriosissimus Imperator FRIDERICUS I. literarum studiosis eas immunitates impertiuit, ut sine offensa, sine interpellatione illud studium, cui quisque dicitur, & ingredi auspiciis bonis, & ad finem feliciter transigere possit. Existimavit enim ille, quod res est, non posse Reipublicæ sua ornamenta reddi aut felicitas illius conservari, nisi beneficentia



etiam isti subleventur, qui doctrinae ac bonae menti praecelaram operam dant. Verfabantur ei ante oculos non paucae difficultates, quae moram sapientiae studio iniiciunt, aut prorsus illud intervertunt, nisi arduus labor, quo doctrinam paramus, benignitate Principum & privilegiis exstimuletur. Adhibitis itaque in consilium Episcoporum, Abbatum, Ducum omniumque judicum magno numero omnibus, qui studiorum causa peregrinantur, suae pietatis beneficium indulgit, ut ad ea loca, in quibus studia exercentur, tam sine impedimento perveniant, quam secure in iisdem habitent, nemoque tam audax inveniatur, qui aliquam injuriam his inferre sustineat. Vidit gloriosissimus Princeps, quantum literarum doctrina Imperio quondam salutis attulerit: vidit etiam & animadvertit immensa damna, quae studiorum neglectu Rempublicam adfligunt, cui malo ut mederetur, liberalissime decrevit, quibus studia excitarentur & pristina eruditio ex barbarie caput efferret suum, & seculo  
suus



suus nitor ac vera felicitas rediret. Egre-  
gie factum! cujus causa, quotquot studiis  
operantur, tanto Principi debere se pro-  
fitentur, nec in summis beneficiis, quæ  
Imperator hic in Rem publicam contulit,  
vel majus vel illustrius, quam hoc præ-  
stantissimarum artium literarumque alle-  
vamentum est. Quod itaque immorta-  
li laude Friderico Barbarossæ fuit, quan-  
tum gloriæ putatis, Auditores, nostro  
FRIDERICO Electori fore, qui lite-  
rarum studiosis non tantum immunitates  
a majoribus concessas, in provinciis suis  
conservat, verum etiam liberaliter eo us-  
que adauget, ut non contentus tribus in-  
clytis doctrinæ templis aut Palladiis, no-  
vum etiam in nostra urbe condiderit,  
quod maximam suam in bonas artes pro-  
pensionem angusto limite contineri pu-  
tabat, nisi & novam eamque amplissi-  
mam bene merendi materiam sibi præpa-  
rasset. Hæc enim natura atque indoles  
beneficentiæ est, ut occasionis accessione  
lætetur, qua exseratur, quam animo te-  
net merendi ubivis egregiã voluntatem.

D

Domi-



Domicilia literarum, quæ Germania habet, satis multa quibusdam visa sunt, ut humanitatis artes in iis coli & ad publicam rem apparari digne possint: sed quod multum cæteris aut nimium etiam numero est, id sapientissimo FRIDERICO nostro mediocre atque tale videbatur, ut augeri illud & ad majestatem augustiorem proferri magno suo animo suoque seculo dignissimum putaret. Scilicet non idem sentiunt excelsæ mentes, quod vulgus judicat: & quod huic forte nimium videtur, id illis sæpe per parvum atque ejusmodi apparet, quod sua liberalitate augendum ornandumque existiment. Itaque aliis, quibus humilior animus est, videantur multæ in his oris Academia: non ita visum est magnanimo nostro FRIDERICO, qui pro animi sui celsitudine majora complectitur atque orbe suo tenet, quam alii cum vulgo sentientes. Non ergo amplitudinem meritorum, quam animo propositam habet, se adsequi putavit, nisi vel ipse literarum studiis novum idque singulare incrementum



mentum adferret, quo posteritati constaret quanto favore, quanto studio literarum ipse doctrinas amplecteretur. Hoc est, quod Respublica, hoc quod tempora nostra de sapientia atque doctrina maximi nostri PRINCIPIS sibi gratulentur: non minus ac quondam de FRIDERICO II, Romano imperatore atque Siciliae Rege praeclaræ literæ & bonæ artes habebant, unde grata mente sui Patroni favorem prædicarent. Isti enim Principi atque Imperatori in laude præcipua & immortalis est repositum, quod plurium linguarum peritus fuit, quod studia, quibus deditissimus ipsemet erat, coli ubique voluit: quod in aliis, qui coluerant, præmiis eadem per amplis & magnificis ornavit atque omnia perfecit, quæ ad restituenda Musarum officia conferrent. Felicior noster FRIDERICUS Elector est, qui non tantum ipse bonarum artium scientia supra, quam in tanto fastigio solet, instructus ornatusque egregie est; verum etiam quosvis suæ ditionis, & externos qui adveniunt, eadem luce illustrari cupit, ut



præclaræ artes atque literæ cum ubique  
terrarum, tum maxime in suis provinciis  
majus indies incrementum ornamentum-  
que capiant. Utrique Imperatori Fri-  
derico, magna atque præclara molienti,  
obstitit fatalis quædam calamitas, hoc  
est publica & inveterata illorum tempo-  
rum barbaries, quæ ita universum Or-  
bem occupaverat, ut expelli facile atque  
inde dimoveri non potuerit. Quæ  
enim studia barbararum gentium incur-  
sione perculsa atque prostrata jacebant,  
non ita erigi expedite potuerunt, ut spes  
& votum & conatus etiam istorum Prin-  
cipum erant; quod per naturæ infirmi-  
tatem tardiora remedia, quam mala,  
plerumque sunt, & homines tandem  
inertiæ quædam dulcedo delectat, ut quæ  
invisa ante ignorantia fuerat, consuetu-  
dine ac diuturnitate efficiat, ut ametur  
postea, nec facile animis hominum eripi-  
atur. Meliora omnia sunt nostris tem-  
poribus, & dispulsa barbarie successu  
majori & instaurantur & conservantur  
liberalium artium atque literarum domi-  
cilia.



cilia. Atque noster FRIDERICVS  
ita felix in primis fuit, ut vix in omni-  
um temporum memoria vel Principem  
vel Imperatorem ullum habeamus, qui  
conferricum eo in literarum gloria & au-  
spicatisimo successu possit. Quod enim  
contra rerum ordinem & contra ipsam li-  
terarum naturam est, ut inter arma &  
bellicos tumultus stabiliantur, atque, quos  
debent, fructus feliciter proferant; ejus  
Academia nostra documento est, posse  
se aliter etiam habere, ubi cum virtute  
sapientia, cum hac, ut decet, felicitas pub-  
lica jungatur. Felicissimus enim &  
vel spe major eventus respondet, brevis-  
simoque tempore tantus illustrium nobi-  
liumque juvenum numerus ad hanc Aca-  
demiã adcurrit, ut vix majorem in  
antiquissima quaque Germaniã Aca-  
demiã invenire liceat. Magnum hoc uti-  
que in Principe nostro existimandum est,  
sed maioris omnino faciendum, quando  
intelligemus, fortissimum nostrum He-  
roem ita literarum studiis favere, ut non  
minorem gloriam ex aliis etiam præclare  
E factis



factis & virtutibus quotidie mereatur. Ex  
bellis Magnates suam gloriam augeri optant  
pro patriæ libertate contra barbaros aliosque  
iniquos hostes & fortiter susceptis & felicissi-  
me peractis. Nonjam in peregrina domo ut-  
cunque Germanica & ad imperium pertinente  
versabimur, sed in serenissimi nostri Electoris  
familia FRIDERICVM I. atque II. Ele-  
ctores habemus, qui ut patriæ suæ amantissimi  
erant nihil antiquius sibi habuere, quam ut  
Vandalos, Polonos, Livonos, Borussos aliosque  
Marchiam invadentes forti animo repellerent,  
& pacem patriæ restitutam ad posteros conser-  
varent. Testis est Albis, ubi Vandalos Elector  
FRIDERICVS I. profligavit: testis & Odera, ubi  
FRIDERICVS II. ingentem numerum Sarmata-  
rum cecidit & Francofurtum liberavit obsidi-  
one: testes & alia loca victoriarum sunt, quibus  
uterque Elector posteritati nomen FRIDERICI  
fulgentissimum commendavit, Heroum belli-  
cosissimorum numero virtutibus suis & maxi-  
mis meritis adscriptum. His exemplis & victo-  
riarum tropæis quantum putatis excitari fere-  
nissimum nostrum FRIDERICVM III?  
Sed sunt alia majora, sunt propinquiora. Glo-  
riose memoriæ Heros, Parens Nostri, & ipse  
FRIDERICI nomine & WILHELMI super  
æthera notus, tantam in Domum Brandenburgi-  
cam,



cam, a tot seculis illustrem & nulli genti in universa Europa postferendā, virtute nova & felicitate novā gloriam intulit, aut veteris incremento adjecit cumulum, ut nihil magnitudini ejus superaddi posse videatur. Addit tamen, quod miramur, & superaddit quotidie potentissimus Filius ejus FRIDERICVS III. & sicut magno PARENTI æqualis est virtutum cæterarum celsitudine; sic nec minor ingenti militiæ fama, quam superaturus etiam videtur, si superari omnino potest, quod in tanto GENITORE semper summum atque sublime fuit. Testatur Danubius cum sua Hungaria: testantur Rhenanus tractus atque Palatinus: testatur Brabantia cum cæteris provinciis Belgarum, in quibus cunctis regionibus nulla adhuc insignis victoria relata fuit, cujus non pars magna fuerit exercitus Brandenburgicus. Immortali laude dignissimum est, quod, post tot immensos sumptus in bellum factos, nec dum desistit novus magno apparatu facere, ut communem patriam & Germanorum libertatem contra iniquissimos hostes tueatur. Et quod maxime mirandum est, omnia hæc sua sponte agit, non excitatus ab aliis, non consiliorum impulsus rationibus, cum tam opimæ conditiones oblatae fuerint, quibus persuaderetur, ut suas copias reduceret, & medius inter belligerantes esse



præferret. Sed major in Nostro virtutis amor  
atque veræ maximæque gloriæ, quam ut ullis  
conditionibus aut promissis induci possit, ne  
patriam defendat, & amplissimis commodis,  
quod honestum est, postponat. Deo itaque  
duce, spretis omnibus quæ oblata sunt, sic de-  
nuo ad bellum se se parat, ut una cum Sociis  
suis æquiores pacem & diuturniorem extor-  
queat. Quod pium justumque animi proposi-  
tum Deus fortunet, atque potenti suo Numine  
efficiat, quo tot tantisque triumphis Domus  
Brandenburgicæ etiam novus hoc anno, de-  
victis deletisque qui patriam infestant, feliciter  
accedat. Sic enim Musæ nostræ quanta incre-  
menta rerum suarum ab suo INSTAVRATORE  
sperabunt? quæ inter medios belli tumultus  
suos natales fausto fidere habuerunt. Quid  
expectabunt, cum Deo bene juvante pax Orbi  
Europæo fuerit reddita? Norunt enim FRI-  
DERICI sui animum non minus pacificum  
quam bellicosum: norunt insignem ejus & vel  
Regia majorem munificentiam, ex qua acces-  
siones sibi & ornamenta in dies ampliora sperant,  
cum pace restituta omnium rerum major copia  
nostram patriam, ut credibile est, circumfluet.  
Est enim hoc magnis Principibus proprium, ut  
non minus pacis artibus studeant, quam bel-  
lorum victoriis sibi gloriam quærant, quo  
ipso



ipso priscos Romanos utraque arte clarissimos mihi imitari videntur, quibus nihil bellicosius, nihil victoria felicius unquam fuit. At vero ita etiam pacis artibus & literarum studiis insignes semper exstiterunt, ut nec inter belli tumultus eadem neglexerint. Multa quidem clarissimæ gentes fuerunt, quarum memoriam gloriosam adhuc fama non ingrata laudat; nec vero in omnibus illis reperitur ulla, quæ cum Romana vel rerum gestarum magnitudine vel imperandi prudentia, vel, quæ inde consequitur, conservandi felicitate comparari possit. Quod si apud animum mihi propono & secreta æstimatione perpendo, quæ causa fuerit & quod singulare studium, quo in tantum fastigium et ad tantam fortunam populus Romanus evectus sit; non equidem invenio, nisi literarum doctrinæque disciplinas cum bellorum peritia atque fortitudine conjunctas. Populos subigere, provincias facere, fines suos longissime proferre etiam aliæ gentes, præter Romanam, didicerant: at devictis populis ita præesse, ut imperium patienter ferrent, & suis abrogatis, victoris leges atque mores sequerentur; hoc, inquam, qui perficere potuit, eum omnibus cæteris præferendum esse existimo. Perfecit hoc Respublica Romana, sed non tam fortitudine ac armorum claritate, quæ quidem maxima

F

fem-



semper atque incredibilis fuit: sed potius literarum præstantissimarum studiis, quæ ad eam prudentiam Romanos informabant, qua Orbis terrarum imperio non impares fuisse ab omnibus iudicantur. Literæ enim & liberales disciplinæ iis præceptis cultores suos instituunt, quibus civilis prudentia ac rerum gerendarum usus ac solertia præparatur. Qua si utuntur recte homines, non possunt non illis omnia sua feliciter evenire. Hæc meditatus sum, cum felicitatem gentis Brandenburgicæ, qua cæteris illa in Germania cunctis fere præstat apud animum considerarem, quippe non solis armorum studiis & militari gloria superior est aliis, verum etiam tantam laudem sapientissimæ administrationis rerum publicarum, atque quod præcipuum est, tantum existimationis ex literarum cultu atque disciplinis consecuta est, ut nulla gens inter Germanas sit, quæ hanc nostræ gloriam æmulari facile, ne dicam adsequi audeat. Nulla enim illustris Aula est, in qua pluris æstimentur literarum studia, quam Electoralis Brandenburgica: nullus inter potentiores Imperii Principes est, qui, si duas tresve illustres Academias habeat, de quarta instauranda cogitet, quæ omnia sane sunt ejusmodi, ut ex iisdem tanquam certissimis documentis de sapientia FRIDERICI nostri admoneamur  
atque



atque identidem excitemur, ut Deo immortalī  
gratias agamus, cuius munus ac beneficium  
est, quod PRINCIPE tam pio, tam benigno, tam  
sapiente, tam felici utamur, sicut ipsius PRINCI-  
PIS clementissima indoles est, quod futuritem-  
poris eandem quoque felicitatem speramus,  
quæ ut certior nobis obtingat atque etiam con-  
stanter permaneat, Deo votis atque precibus  
supplicamus, ut carum hoc Caput serenissimum  
Electorem FRIDERICVM III. conservet,  
felicitatem ejus augeat, sapientiam confirmet,  
expeditiones bellicas fortunet, & muneribus  
suis, quæ in eum contulit, addat perennitatem.  
Sed nec in votis nos FRIDERICORVM memo-  
rabilis historia destituit. Fridericus III. tam  
diuturno imperio Cæsar fuit, ut ex omnibus,  
qui inde ab Augusto ad nostram memoriam im-  
peratores exstiterunt, nemo propius ad imperii  
Augustei annos, quam ille Fridericus, accesserit.  
Faustum omen & nomine & numero con-  
sonante. Uterque, Noster & ille, FRIDERICVS;  
uterque ordinis sui TERTIVS. Est itaque nostri  
muneris, a Deo precari, ut etiam diuturnitate  
imperii Noster alterum Fridericum exæquet, vel,  
quæ vota omnium bonorum sunt, aliquando exsu-  
peret,



peret, quo cum serenissima CONJUGE & PRINCIPE  
JUVVENTVTIS, in spem Electoratus & provin-  
ciarum genito, cæteraque SOBOLE, identidem  
gratulantium voces & acclamationes audiat, &  
quotannis hic dies serenior lætiorque DOMVI  
BRANDENBVGICÆ & huic FRIDERI-  
CIANÆ Academiae recurrat.





78 N 3, Kapsel (160)

ULB Halle 3  
004 505 093



f









78 N 3 [760.3]

PANEGYRICVS  
SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
FRIDERICO  
TERTIO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO,  
SACRI ROM. IMPERII ARCHICAMERARIO  
ET ELECTORI, DVCI BVRSSIAE, MAGDEBURGI,  
CLIVIAE, IVLIACI, BERGAE, STETINI, POMERANIAE,  
CASSVBIORVM ET VINEDORVM, ETIAM IN SILESIA  
GROSNAE ET SWIBVSII, BVRGGRATIO NORIMBERGENSI,  
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDAE ET CAMINI, COMITI  
HOHENZOLLERAE MARCAE ET RAVENSBERG, DYNASTAE RAVEN-  
STEINI ET TERRARVM LAVENBURG ET  
BVTAV, ETC.

*DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,*

IPSA AVSPICATISSIMA DIE  
FRIDERICI

HOC EST V MARTII MDCCXCIV  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA

PUBLICO OMNIUM NOMINE

DEVOTE ET SVBIECTISSIME

DICTVS

<sup>A</sup>  
BENIAMINE VRSINO,

BEROLINENSI.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS STEGMANNIANIS.

